

1833.
/ 4

DE PROPRIA CRANII
IN PUELLA EPILEPTICA
DEFORMATIONE.

DISSERTATIO

INAUGURALIS PHYSIOLOGICO-PATHOLOGICA,

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN ALMA

UNIVERSITATE LITTERARIA TURICENSI,

UT SUMMI

IN MEDICINA CHIRURGIA ET ARTE OBSTETRICIA
HONORES RITE SIBI CONCEDANTUR,


DIE *XVI*. OCTOBRIS ANN. MDCCCXXXIII

PUBLICAE DEFENSURUS EST

AUCTOR

FRIDERICUS ADOLPHUS WISLIZENUS

SCHWARZBURGICO-RUDOLSTADIENSIS.



Accedunt duae tabulae lithographicae.

TURICI,
TYPIS GESSNERIANIS.

J. 244 G
Nad...

DE PROLIA CRANII
IN PUEBLO TURKICA
DEFORMATIONE

DISSERTATIO

IN AUCTORITATE ANATOMICO-PATHOLOGICA

DE

CONSENSU ET ANTONIATA
SALUTIS MEDICINAE ORDINE

IN

UNIVERSITATE IMPERIALI TURKICA

DE

IN MEDICINA GENERALI ET IN ANATOMIA
LONONIS ET SUI CONCORDANTIA


DIE 11 OCTOBRI ANNO MDCCCXXIII

AVRILIO DEKORATIONE

AVRILIO

ADAMUS WILHELMUS

SCIENTIARUM DOCTOR



Accidentibus hinc inde libere libere

TRICIA

DESSAU

V I R O
GENEROSISSIMO, EXCELLENTISSIMO,
CH. F. W. HOFFMANN,
REGIMINIS REGISLACENSIS PRAESIDI,
AVUNCULO NEC NON PATRI SECUNDO

OR
MAXIMA BENEVOLENTIAE ET HUMANITATIS
DOCUMENTA
HASCE LITTERARUM PRIMITIAS
GRATA PIAQUE MENTE
CONSECRAT

AUCTOR.

V I R O

GENEROSISSIMO, EXCELLENTISSIMO,

CAROLUS W. HOTTENRATH,

REGIMINE REGIS AGENSIS PRAESIDI,

AVANGULO NEC NON PATRI SECUNDO

2

MAXIMA REVERENTIA ET HUMILITATE

DOCUMENTA

HABERE LITTERARUM PRIMITIVAS

GRATA PRAEQUE MENTE

CONSERVARE

AVANGULO

I. Historia morbi.

Prope Turicensium urbem puella in pago Meilen, vix quatuor menses nata, epilepticis, quarum causa ignota erat, affici coepit convulsionibus. Utrum ab initio cerebrialis haec fuerit epilepsia, haud constat. Ante pubertatem tam die quam nocte convulsionibus incertis nonnullorum mensium redibant intervallis. Inde a pubertate per tres annos non nisi nocte convulsionibus vexabatur, unde facilis earum occultatio, tertio autem pubertatis anno de novo die convulsionibus redibant, cerebriores inter menstruationem, et tantum increbrescentes cum annis, ut postremo quinquies haud raro per diem vexaretur. Symptomatibus autem nil inerat insoliti: sine aura prolabi, ore spumante convulsionibus concuti aliquantum ad tonicarum naturam accedentibus, pollicem palmae imprimere, nonnumquam clamorem emittere. Postremo Baccho sese dare coepit miserima virgo, moesta insuper spe nuptiarum ineundarum saepius irrita reddita, ut eius natura aliquantum ad res venereas inclinaret. Multis sanandi rationibus frustra tentatis aetatis anno trigesimo nono apoplexia obiit inter paroxysmum epilepticum. Pauca haec omnia sunt, quae pro certo cognoscere potui.

II. Cranii et Encephali descriptio.

Ossa cranii variis in locis tenuissima inveniuntur, papyri ad modum pellucida, adeo passim perforata, et in parte orbitali ossis frontis, et ubi pars squamosa ossis temporum ad ossis

sphenoidei alam magnam tendit, et imprimis in utraque ossis occipitis fossa, quae cerebellum excipit. In duabus fossis exempli gratia post processus condyloideos ossis occipitis sitis foramen invenitur, cuius diametros decimam aequat pollicis partem. Os occipitis solito minus excavatum est, et si quis lineam inde a posteriore foraminis magni margine ad angulum lambdoideum ossis occipitis traxerit, in acutiorem finibit angulum, si conferas cum planitie ea horizontali, cui cranium impositum est. Quod interest spatii inter ossium petrosorum posteriores margines, qui in angulum conveniunt solito obtusior, et inter spinam pro tentorio cerebelli et ab anteriore ad posteriorem et a dextra ad laevam partem magis extensum, a superiore ad inferiorem partem solito humilior est. Margo lambdoideus ossium bregmatis quarta pollicis parte anterior, et quarta pollicis parte altior est, quam margo lambdoideus ossis occipitis. Margines ossis occipitis et ossium bregmatis sibi oppositi mastoideos ossium bregmatis angulos versus, ut non minus distant, quod altitudinem attinet, ita tamen in eadem magis positi sunt planitie verticali. Intervallum, quod est inter utrumque marginem, ossium wormianorum serie occupatur, quorum planum externum ad superam et posteram partem spectat. In angulo lambdoideo ossis occipitis duo ossa wormiana imparia alterum alteri superimposita sunt in linea corporis mediana, quibus circiter sex apposita sunt in utroque latere, quorum longissima ab altero ad alterum ossium cranii marginem tendit diametros, nonnullis autem nonnisi alterum tangentibus marginem. Magis utrumque versus latus magnum reperitur os wormianum, cuius longissima diametros a superiori et posteriori ad inferius et anterius latus marginum lambdoideorum directionem sequitur. Ante marginem anteriorem huius ossis wormiani aperturam inaequalem fissam

reperies, et ante hanc aperturam, inter angulum mastoideum ossis bregmatis, inter processum mastoideum ossis temporum et inter oppositum ossis occipitis marginem nonnulla praeterea minora sunt ossicula. Minora porro ossa wormiana in maiorum ossium crenatis et quasi pinatifidis suturis reperiuntur. In latere interno laminas vitreas nonnullorum horum ossium iam concrevisse invenies, ita ut in cavitate interna cranii pauciora distinguere posses ossa wormiana, quam in latere externo. Margines omnium ossium in latere interno multo minus incisi atque crenati sunt. Suturae a lamina externa ad laminam internam nonnunquam obliquae sunt, ita ut figura ossium wormianorum interna non semper congrua sit figurae ossium, qualis est in latere externo. Minora ossa wormiana sita sunt in sutura squamosa, imprimis sinistri lateris; ubi pars squamosa ossis temporalis alam magnam ossis sphenoidi tangit, parvae laminae vitreae particulae a reliqua laminae vitreae planitie incisuris separantur. Idem videbis in lamina cribrosa. Maiora ossa wormiana ossi frontali et alae magnae ossis sphenoidi dextri lateris interposita sunt. Pars orbitalis ossis frontalis valde exigua cerebrum versus offert convexitatem. Si hoc cranium cum alio confero eiusdem fere magnitudinis, diametron ab uno ad alterum os bregmatis dimidio pollicis nimis longam invenio; ea linea, quae ab angulo lambdoideo ossis occipitis ad glabellam porrigit, eandem lineam in alio cranio duobus pollicibus superat, et ab hac alius cranii linea dimidio pollicis ea superatur linea, quae in nostro cranio a cacumine superioris angulo lambdoideo impositi ossis wormiani ad glabellam trahitur. Os bregmatis dextrum longius a centro cranii remotum et magis excavatum est, quam sinistrum. Cerebrum et cerebellum cranii cavitatem penitus implebant, et eadem igitur, qua cranium, gaudebant forma. Cerebellum a

latere superiore ad latus inferius compressum videbatur. Texturae mutationem nullam inveniri potuisse affirmatur. Eius, quae mortem tulerat, congestionis et impletionis sanguineae signa in toto conspicua erant encephalo.

III. Disquisitio de nexu aetiologico inter cranii formam, inter cerebri abnormitatem, et inter epilepsiam.

Quin inter cerebri et cranii deformitatem nexus quidam interfuerit, nemo sane dubitabit. Eodemmodo inter epilepsiam etiam et inter cerebri formam nexum hunc aetiologicum interfuisse pro certo habeo, hanc enim aetiologiam si quis neget, eum in duas incidere oportet opiniones, quae ambae valde a vero abesse videntur, primum, tam conspicuum adesse potuisse formae morbum, sine ullo alio symptomate, praeter deformitatem ipsam, dein, tot per tempus in corpore humano saevire potuisse epilepsiam neque organica mutatione effectam neque organicae mutationis causam.

Illum inter cerebri et cranii formam nexum primum si contemplantur, triplex cogitari potest huius nexus ratio.

Primum enim cranii deformitate cerebri deformitatem effectam esse credi potest. Poterat enim cuiusdam morbi actione inter ossa bregmatis et inter os occipitis deponi calcaria phosphorica, et inde formari ossa illa wormiana, a quibus, cacumine ossis occipitis depresso, ossa bregmatis in latus anterius promo-

veri necesse erat, ita ut eorum excavatio ab anteriore ad posteriorem augetur partem. Solam vero hanc suturam, nec aliam cranii partem morbo affectam esse credi non potest. Quum enim omnia cranii ossa tenuiora et fragiliora solito reperiantur, omnem ossificationem solita caruisse vi et intensitate apparet. Quae ossificationis imbecillitate hoc praecipue effici poterat, ut, quum normalia ossificationis puncta minus sese expanderent et propagarent, nova in ossium finibus ossificationis puncta formari necesse esset. Natura autem in removendo hoc detrimento iustos ultra fines egressa est. Idem in febribus saepissime observatur, quae, ad morbi materiam quandam removendam ortae, in maiorem, quam oportet, acritatem accrescunt, ideoque noxiae efficiuntur. Hic etiam itaque casus miri illius facti argumentum foret, ut natura, si quidem consuetus organismi tenor interruptus est, in aequando damno iustum raro sciat retinere finem. Ut enim ossa wormiana (id quod debebant) intervallum, quod est in sutura lambdoidea, explerent, tantum abfuit, ut, in nimiam accrescentes magnitudinem, angulum lambdoideum in posteriorem et inferiorem reprimerent partem. Unde factum est, ut recedens os occipitis maiorem redderet cranii cavitationem, quae ut expleretur, cerebri lobus posterior magis solito expandebatur; quod iam lege illa naturae, secundum quam intervalla explere studet, vel, ut veteres non tam inconsulte appellarunt, vacuum horret, fieri poterat. Accedit, ut cerebrum normali in conditione haud exiguam patitur compressionem, ex quo sequitur, ut dilatata cranii cavitate, expanderet etiam encephalon,

Aliam si qui sequuntur sententiam, mutata cerebri forma factum esse, ut etiam cranii forma mutaretur, existimare possunt, iique fortioribus quidem quam illi argumentis nisi, quum ex multis factis verisimile sit, a viscerum, dum crescunt,

formatione ossium circumdantium formam dependere. Et tenera quidem aetate cranii et cerebri deformitatem factam esse, est quod pro certo habeam, argumenta postea allaturus. Ossibus autem molliores circumdantibus partes, morbo affectis primario, partium, quas amplectuntur, formam mutari posse, negari quamvis non possit, (ut verbi causa vertebrarum inflammatis articulationibus medulla spinalis curvatur, et osteomalacia vel exostosis thoracis et pelvis cavitas ideoque etiam organorum, quae insunt, forma mutatur) attamen paucis post partum elapsis mensibus rarissime accidere videtur, ut ossium forma visceribus circumdatis aliam afferat formam; in foetu contra, et priusquam in ossa mutantur, cartilagine, aliorum instar teguminum, gravioribus, quae continent, organis sese adaptare videntur. Hoc modo haud raro fieri potest, ut, pulmonis morbum quum abnormi thoracis formae tribuant, vera abnormis illius thoracis formae causa sit pulmonis a principio vitium et imbecillitas. Ita ex foetus hydrocephalo ossa wormiana saepe oriuntur. Nostro autem in casu ossa wormiana, si nonnisi ad explendam eam, quae turgente posteriore cerebri lobo inter os occipitis et ossa bregmatis effecta est, rimam orta essent, vix intelligeres, cur aliis etiam huius cranii locis inclinatio quaedam ad formanda ossa wormiana appareat. Accedit quidam in hac cranii ossium deformitate ordo, velut si una e causa, certam secundum legem omnes huius cranii mutationes effectae essent, et ossium wormianorum symmetria, quare probabilius habemus,

tertiam, quae datur, sententiam veram esse, abnormem scilicet cranii cerebrique formam non alteram alterius causam sed tertia quadam utramque effectam esse causa, eandemque secundum legem. Quae quidem haec sit causa, quam naturam secuta sit legem, vix certo discerni poterit. Plurima

autem affert anatomia pathologica exempla, in quibus variae in eodem organismo deformitates ad unam eandemque referendae sunt causam et originem, nec alia ad aliam veluti causam referenda est mutatio. Ita in eodem partu monstroso spinam bifidam et palatum fissum haud raro invenies, quae ambo eadem proxima effecta sunt causa, coërcito nempe organismo, quominus ad normalem accresceret humanae perfectionis gradum. Ita multivariae saepe in eodem homine reperiuntur abnormitates, quae ad hermaphroditismum accedunt, ita ut simulatio alterius sexus communis harum deformitatum lex sit. Nondum omnes eiusmodi leges detectas esse mihi videtur. Exemplum unum afferre sufficiet. In habitu phtisico, si nonnisi pulmonis extaret vitium quoddam et thoracis angustia, roganti, utrum pulmo an thorax primario affectus fuerit morbo, absque dubio morbum primum in pulmone fuisse responderem. Quum vero nunquam non in hereditario hoc phtisico habitu et collum et extremitates nimis longae sint, ultimae digitorum phalanges tumescant, ungues animalium instar rapacium reperiantur, aliaque eiusmodi, certe neque haec symptomata pulmonis ad vitium veluti causam referenda esse, neque pulmonis vitium his deformitatibus effici fingere possumus. Potius, quum in omnibus, quae ad phtisin hereditariam inclinare apparet, corporibus mira reperiatur habitus congruentia, legem quandam extare nobis ignotam existimandum credo, ad quam omnes illas referas proprietates. Natura enim, etiamsi normam et ordinem suetum linguat, non omnem regulam legemque contemnere, sed insuetam quandam et forsam minus opportunam sequi videtur legem. Aeternum sane naturae ordinem haud recte cum legibus contuleris, qualis hominum aliquis inter se fert congressus, at hucusque meliori lingua indiget voce. Legem igitur, ut ita dicam,

seu principia, quae in construendo cerebro hoc et cranio secuta est natura, haud facile discernas. De ossibus illis wormianis, in inferiori quodam gradu retentum organismum est quod existimes. In fertu enim humano ossis occipitis corpus ex octo diversis compositum est partibus, quae quidem ossium germina in quibusdam mammalibus nonnisi post partum iunguntur, in reptilibus totam per vitam seiuncta manent; accedit, quod cerebri posterior lobus, qui ad motus imprimis confert, maiori gaudet perfectione, quam anterior, in quo voluntas et sensationes sedent, ita ut in animalibus imperfectioribus et in foetu voluntas et sensationes nullae aut imperfectae, motus autem reperiantur valde conspicui. Quominus autem hoc encephalon ex his argumentis secundum legem theromorphes constructum credam, varia mihi obstant momenta. Quum enim clivus Blumenbachii dictus magis solito acclivis sit, et cerebrum ultra cerebellum multum portendat (quod utrumque hominis a ceteris animantibus characteristicum efficit discrimen) ad perfectionis insolitum gradum hoc encephalon pervenisse videtur. Humanae perfectionis characteristicum signa in hoc cranio paene nimis conspicua esse id quoque docet, quod dextra cerebri pars sinistra maior est. Nam characteristicum paene est generi humano alterum encephali latus alteri non congruum esse, quod iam encephali gyri in bestiis magis symmetrici docent. Alter oculus plerumque maiori acie gaudet, meus dexter; dexter auris, si digitus meatui auditorio immittitur, profundiorum et mihi et duobus aliis a me interrogatis dedit sonum, quam sinister; nasus in dextrum plerumque versus est latus; multa systematis nervorum in dextra corporis parte praevaleant argumenta ubique reperies. Burdachius, accuratissimus ille Physiologiae indagator, cerebri dextrum latus maius saepissime dicit sinistro, ut mihi videtur, quia san-

guinis a corde impulsus in dextra minus frangitur caroti et cum largiorem efficit nutritionem, tum alacriores eas reddit encephali pulsationes, quae imprimis ad eius vitam necessariae mihi videntur. Saepe utique in moria haec symmetriae negatio consuetum excedens modum inventa est, sed moria ipsa saepe nil aliud est, quam genialitas (si hac voce uti licet) modum excedens, et Burdachius hanc deformitatem in professore invenit celeberrimo, qui demens obiit. Omnino equidem symmetriam et libertatem (et nullum mihi inter libertatem et perfectionem discrimen notum est) sibi oppositas esse in divina rerum natura censeo. Nemo exempli gratia plantas lapidibus, animalia plantis perfectiora esse negabit, (nisi scilicet harmoniam inter libertatem et perfectionem negans omnia aequae perfecta esse in natura credat.) attamen crystallo plus quam flori, flori plus quam animalium capiti inest symmetriae.— Veterum qui anatomiae operam dederunt, ossa wormiana in muliebribus normalia esse existimaverunt. Si fortasse saepius in muliebribus inveniuntur, id ad communem theromorphas in muliebribus frequentiores esse regulam referendum censeo. Maiorem in mulierum, quam in marium, encephalo posterioris lobi ambitum invenerunt et Gall ille et Burdachius. Attamen si quis duo haec facta cum cranii ossium tenuitate collata pro argumentis haberet, muliebritatem in hoc cerebro ad nimium evectam gradum convulsionum causam fuisse epilepticarum iustos mihi fines egredi videtur. — Ad quam igitur legem pathologicam communes encephali et cranii deformitates referendae sint, nescio.

De mutuo inter cranii cerebrique formas et inter epilepsiam causarum nexu id tantum certum mihi videtur, formae vitium non epilepsia effectum, sed epilepsiae causam fuisse, quum ossa wormiana sane, priusquam epilepsia corpus aggressa esset, orta sint. Quodsi occipitis ossa posteriori demum tempore hypertrophia posterioris cerebri lobi ex epilepsia orta alia ab aliis repressa et diremta essent, nullo modo tam regularia et tam certis finibus circumscripta ossicula ad implendum formata essent intervallum. Nullum enim etiam post naturale ossificationis stadium vera gigni posse ossa wormiana argumentum extat. Itaque iam in foetu hanc hypertrophiam encephali partialem coepisse non alienum a vero esse mihi videtur. Quominus autem reliquam quaestionis partem accuratius explicare possim, impedimento est, quod, nec ex quo tempore cranii in puella deformitas animadversa sit, satis constat, nec utrum a principio idiopathica fuerit epilepsia, nec annon cum hac partiali hypertrophia iuncta fuerit congestio, irritatio, consistentiae, texturae, nutritionis aliqua minus conspicua mutatio, gravior caudicis encephali et cerebelli compressio, nec utrum substantia medullaris an substantia corticalis magis hypertrophia laboraverit. Id unum pro certo habeo, affectionem fuisse morbosam posterioris encephali partis. Exempla autem epilepsiae ex multivariis posteriorum encephali partium irritationibus et degenerationibus, cum systema caudicum tum radiationem explementi, cum cerebri posteriorem lobum tum cerebellum occupantibus, ortae permulta nobis extant. Omnino anteriorem encephali partem sensationibus voluntati et rationi, posteriorem motui et vitae vegetabili praepositam esse physiologia satis docet. Iam quia affectiones posteriorum encephali partium convulsiones, anteriorum paralyisin vulgo gignunt, anteriores partes voluntatis posteriores motus

sedem esse suspicari possumus, et cum eandem paene, quae inter partes anteriores et posteriores interest, polaritatem etiam inter partes superiores et inferiores interesse multa doceant cum physiologica a Flourentio et ab aliis instituta experimenta, tum etiam vulnerum atque aliorum encephali morborum observationes, voluntatem, quae cum conscientia motus procreat, in pallio et imprimis in posterioribus pallii partibus sedere verisimile est, caudicem autem encephali in vegetabili suo modo id, ad quod a pallio excitetur, exsequi, et sedem esse illius tantum instinctus, qui exempli gratia musculorum motus ad respirationem necessarios gignit. — Ex his autem doctrinis singula huius epilepsiae symptomata deducere et eorum causas declarare equidem non audeo. — Propensitatem quandam ad res venereas ad cerebelli referre posses compressionem. — Ut nocte tantum in primis pubertatis annis haec epilepsia accidere soleret, forsan id causae erat, quod die magis quam nocte anterior cerebri lobus, qui meditationes et sensationes efficit, par illi posteriori lobo momentum tenere poterat, ita, ut primis pubertatis annis (quibus solito vivaciores sunt sensuum imagines, et sanguinis etiam ad genitalia impetus a cerebro aliquid derivat) nocte tantum irritabilitatis explosiones accidere possent, quod ad illam igitur referri potest regulam, secundum quam morbi in variis corporis partibus imprimis florent, dum hae partes ipsae in tempore florescentiae quasi et summae actionis sunt, et dum vitae suae intensitate antagonistica aut polariter quasi opposita organa vincunt. Attamen attentione nostra haud indignum est, morbos nervorum, quos a vi lunae imprimis dependere notum est, noctu plerumque paroxismos facere, velut si profundior quaedam fabulae illae, lunam noctis esse reginam, inesset veritas. — Fluidum illud nervinum motus efficiens quum in posteriori praeci-

pue gignatur cerebri lobo, hypertrophia illa nimiam huius fluidi copiam secretam esse, et hinc convulsiones, veluti huius fluidi explosiones, ortas esse existimare posses. Temerario autem haec omnia te suspicatum esse, donec hunc nostrum casum cum aliis eiusmodi iisque diligentius disquisitis contuleris, facile obiecerit aliquis. Illud autem quominus facerem, nimis angustum temporis spatium impedimento fuit, quare clementiae benevoli lectoris hoc opusculum commendo.

Theses defendendae.

1.
Morbus et sanitas idem.
2.
Omnes morbi sunt repetitiones formarum vitae normalium.
3.
Morbus modus existentiæ sanitatē nobilior.
4.
Non sunt morbi dynamici.
5.
Nullus morbus crisi caret.
6.
Febris intermittens macrocosmi vitam et imaginem refert.
7.
Nullum medicamentum non venenum.
8.
Hepar pulmo.
9.
Nullae sunt viæ urinariæ clandestinae.
10.
Lithotritia est reiicienda.
11.
Exstirpatio uteri operatio præstantissima, sychondrotomia inutilissima.
12.
Omnes fere mulierum morbi sexuales.

13.

Empiria rationalis medicinae scientiam semper plus adiuvit,
quam omnes huc usque systematum speculationes.

14.

Hahnemann medicinae magnopere profuit.

15.

Medici philosophi religio Materialismus.

16.

„Arte longa vita brevis“ brevior arte longior vita.

